Ex dono Gul. Shepherd Socii 179
Liber Soc: Med: Abred:
6512/P

# DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

# RUBEOLA,

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

THOMAS GIBBINGS,

HIBERNUS.

Soc. Phyſico-Med. et Med. Sodal.

Ad diem 12 Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,

Academiae Typographos,

M, DCC, LXXI.

H. 34

Societati Medicæ Abredonensi
Dono dedit Gul. Shepherd Socius.

31700
WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

Patri Optimo

BARTHOLOMÆO GIBBINGS
DE GIBBINGSGROVE,

ARMIGERO:

Viro praeſtantiſſimo, praeceptori ſuo,

GEORGIO CLEGHORN, M. D.

Anatomes in Collegio Dublinenſi Profeſſori,

Ob eximia in Medicina Conſilia,

Amicitiamque qua ſe dignatus eſt;

Necnon,

CAROLO LESLIE,

Chirurgo apud Corcagiam peritiſſimo,

Reque in Medica verſatiſſimo,

Propter maxima erga ſe collata Beneficia,

Dum illius ſub Auſpiciis Diſciplinae Chirurgicae incubuit:

Has Studiorum Primitias

Dicatas voluit

THOMAS GIBBINGS.

For Mr John Aitken
from
his humble serv.t
the
Author

37000

# DISSERTATIO MEDICA

## DE

# RUBEOLA.

EXANTHEMATUM inter genera, ordine diſpoſita, inſeritur rubeola: Hujus morbi definitionem Culleno Praeceptore noſtro eruditiſſimo prolatam citabo; etenim mihi potiſſimum arridet.

## I. DEFINITIO.

SYNOCHA contagioſa cum ſternutatione, epiphora, et tuſſi ſicca rauca.

QUARTO die vel paulo ſerius erumpunt papulae exiguae confertae, vix eminentes, et poſt tres dies in ſquamulas furfuraceas minimas abeuntes.

## II. SIGNA MORBI.

Observationes neotericae ab enumeratione ſignorum nobis eleganter a Sydenhamo tradita parum diſcrepant : Hancce igitur depromere liceat. Signa tamen quaedam anomala attexenda ſunt.

## HISTORIA MORBI.

*Anni tempus.* " Sub initio Januarii ingredi-
" tur rubeola ; atque indies magis invaleſcit,
" donec, inſtante verno aequinoctio, ακμην ad-
" epta, exinde iiſdem gradibus imminuta, Ju-
" lio ſequenti penitus extinguitur." His anni plerumque menſibus rubeola viget ; interdum vero Sole aeſtivo indomita infeſtat, nec priuſquam tempus autumnale aeſtuat penitus abigitur.

*Signa regularia.* " Ægri primo die rigent
" horrentque, calent et frigent alternatim :
" Secundo conſummatam febrem accerſunt.
" Ægritudo vehemens, ſitis, inadpetentia, lin-
" gua alba (non vero ſicca), tuſſicula, capitis

" et oculorum gravedo, et ſomnolentia " perpetua, acriter premunt; humor e nari" bus et oculis jugiter ſtillat; quae lachry" mae certiſſimum rubeolae ſignum. Huc ac" cedunt ſternutatio, tumor palpebrarum " paulo ante eruptionem, vomitus, diarrhoea, " cum dejectionibus colore viridi, in dentien" tibus praeſertim. Symptomata ingraveſcunt " ad quartum uſque diem, quo quidem die, " nonnunquam quinto, in fronte et facie " maculae parvae, rubrae, pulicum morſibus " perſimiles, prodeunt, quae, numero et mag" nitudine auctae, racematim coaleſcunt, et " faciem maculis rubris majuſculis interſtin" guunt: hae maculae e parvulis papulis, ſupra " cutim paulatim elevatis, conflantur, quarum " protuberantia digito levi, vix oculorum a" cie, reprehendi poſſit.

" A facie, quam primo ſolum occupant " ad pectus, ventremque, crura deinde tibiaſ" que, propagantur maculae: In his autem par" tibus latae et rubrae, ſuperficiem cutis non " ſuperantes, conſpiciuntur. Eruptione rube" olae non perinde deliniuntur ſymptomata " ac in variolis. Vomitus poſt eruptionem " nullus; ſed tuſſicula et febris cum ſpirandi

" diffi-

" difficultate intenduntur, in oculos defluxio,
" ſomnolentia, et inadpetentia perſeverant.

" Die ſexto aut circiter, frons et facies aſ-
" pereſcunt, emorientibus puſtulis, ruptaque
" cuticula; in reliquo corpore maculae latiſſi-
" mae ſunt, et maxime rubeſcunt. Octavo circi-
" ter die, in facie evaneſcunt, et vix in reli-
" quo corpore permanent. Nono, nullae
" prorſus ſunt; per faciem vero et artus,
" quandoque et totum corpus, in farinam
" quamdam et ſquamulas faceſſunt; et tunc
" temporis febris, difficultas ſpirandi, et tuſſi-
" cula augentur."

*Signa anomala.* Exſequitur non ſemper decurſum regularem, et uſitatiorem jam deſignatum rubeola, tuſſis moleſtiſſima ſiccaque eruptionem quatuordecim vel plures antecedit interdum dies; humeros et truncum corporis primum occupant papulae; et more inſolito, quarto nunc ſerius die, erumpunt; nunc tertio, vel die ſecundo, febre urgente, graſſantur; nec morbo devicto cuticula adinſtar farinae deſquamatur. Signa praeludii aeque ac eruptionis graviora ſeſe exhibent, his anomalis aegrum infeſtantibus. Aliquando, poſt

poſt regimen intenſe calidum, liveſcunt primo, mox nigreſcunt exanthemata; vel petechiae intervalla papularum obſident. Foeminis, paroxyſmis hyſtericis, vel catameniis febri rubeoloſae ſupervenientibus, tardior eruptio provenit. Haemorrhagia de naribus, ventriculo, vel utero, ſeſe aliquando huic morbo aſſociant. Hic obſervandum eſt, morbum regularem ſed frequentius anomalum ſaepe excipere dyſpnoeam, et tuſſiculam moleſtiſſimam, non ſine febre: Somnus fugit oculos noctu diuque, et anxium infelicem aegrum interdum peripneumonia corripit, febre rubeoloſa diſcuſſa. Morbi, omniumque ſymptomatum fugam aliquando ſequitur, et ad plures ſeptimanas excurrit diarrhoea. Ophthalmia et angina interdum rubeolam comitantur et excipiunt.

## III. SUBJECTA.

Non infrequenter rubeola epidemica ſaevit, et pauci invicti, nuperrime nati, illius aſſultum propulſant: Hinc recte Sydenhamus plerumque hunc morbum infantes adgredi affirmat.

affirmat. Sed nec aetas provectior adultos vi contagionis arcet; validiſſimo propugnaculo ſibi morbus eſt; et prima tentatio recidivae occurrit, ſi modo hominibus praxi verſatiſſimis ulla fides adhibeatur.

Quosdam morbum bis tentaviſſe memoratur: Sed forſan culpa obſervationis accuratiſſimae ad hanc concluſionem adducti fuere medici, hoc anomalo decepti; eruptionem nempe rubeoloſam receſſui ſubito, nec ſignis infauſtis ſuccedentibus, interdum obnoxiam eſſe, et iterum elapſis tribus vel duabus ſeptimanis in lucem prodire, poſteaque decurſum regularem abſolvere, cauſa retropellente et obſtruente, quodam auxilio excitante vel antiſpaſmodico, cute detracta. Hic exitus papularum recidivus mihi videtur ex primaria contagione originem duxiſſe, neque infectioni novae tribuendus; vel forſan papularum ſine febre rubeoloſa ex concubitu eruptio, pro morbi recidiva, traditur immerito quibuſdam.

## IV. DIFFERENTIÆ.

Papulas rubeolae ab affectionibus cutis localibus, vel ab ordine impetiginum in Noſologia

logia Culleni noſtri definitis, febris praegreſſa et comitans diſcriminat.

Morbum hunc diſcernere, ex caeteris exanthematum generibus oportet in praxi medica; ut vero huic noſmet accingamus operi parati ſumus, induſtria noſologiae methodicae cultorum in auxilium accerſita, qui genera morborum diſtinctis ſuis definitionibus adornavere. Praecipue his morbis diſcriminandis inſudandum eſt qui rubeolam propius referant.

Erysipelas non ex papulis parvis ſupra cutim paulatim eminentibus conflatur. Serpit per cutim univerſam, ſed non priuſquam deſerat primum occupatam. Nec erumpit nec abit certo morbi die.

A variolis differt rubeola, quod papulas rubeoloſas praecedunt ſternutatio, epiphora, et tuſſis ſicca rauca: Hoc praeludium vix unquam variolam praegreditur. Papulae minus ſupra cutim eminent quam in variola; nec ut puſtulae varioloſae in ſuppurationem et cruſtas abeunt; ſed plerumque in furfuraceas minimas ſquamulas vergunt, nec foeda veſtigia relinquunt. Si variola maligni moris confluens cum his ſymptomatibus catarrhalibus

ſtipata

ſtipata ingruat, diagnoſis perſpicua accipienda eſt ex morbo epidemico et decurſu omnium ſignorum, omnibus praegreſſis rite perpenſis.

Miliaria a rubeola diſcrepat, quod in certo morbi die erumpit, papulae non faciem obſident, nec deſquamantur, ſed oſtendunt minimas puſtulas albas poſt unum vel alterum diem. Differt inſuper duritia, aſperitate, et eminentia papularum.

Scarlatinam a rubeola diſcriminat in pectore uniformis rubedo, quaſi vino rubro perfuſa foret cutis: Maculae rubeoloſae ſeparantur anguloſis intervallis; ſcarlatinae autem non ſunt perinde uniformes ac in rubeola, et ſine praeludio catarrhali enaſcuntur.

Petechias a rubeola diſcernere licet, quia maculae petechiales ſunt lividi coloris, et exacte circulares; verum rubeoloſae ſunt magnitudinis et figurae incertae variae, et cutem ſupereminent.

## V. PROGNOSIS.

Prognosin ex prima morbi invaſione deducimus. Febris rubeoloſa aggrediens his ſignis

bis ſtipata, viribus admodum proſtratis, algidis extremi corporis membris, inquietudine perpetua, deglutitione difficili, delirio, capitis et oculorum dolore, cum ſudoribus profuſis, praeſertim in aetate provectioribus, morbum malignum deſignat.

Eruptio tardior quarto vel quinto die plerumque rubeolam maligniorem comitatur; color ſanguineus papularum benignior videtur, a rutilante recedens: Color pallidus, vel purpureo accedens, periculum minitatur, et virides vel maculae purpureae mortem frequentiſſime praenunciant.

Si retroceſſionem ſubitam papularum, delirium, anxietas, et dyſpnoea, ſtatim excipiant, actum eſt de vita, niſi ſuperficiei maculae iterum accedant, vel criticus alvi fluxus ſuperveniat.

Tussis continua cum alvi profluvio et inquietudine infauſtum praeſagiunt eventum.

Tussim infrequentius urgentem, cum expectoratione blanda, lenem diaphoreſim, alvum ſolutam, et regimen antiphlogiſticum ab initio morbi uſurpatum, quaſi eventum fauſtiorem praecedentia habere licet.

Profusiones nimiae ſanguinis mali ſunt ominis; ſed interdum hamorrhagiae e naribus ſtillant, et febri levamen adferunt.

Qui plerumque rubeola correpti ad plures migrant, nono die peripneumonia ſuffocantur; praeſertim ſi calidioribus medicamentis uſi fuere.

Multos, jam morbo ſuperato, vexat alvi fluxus tabeſcens, in aliquot hebdomadas productus, qui tandem macie ſenſim confecti ad ſuperos migrant. Plures, febricula morbum excipiente, non ſine ſudoribus colliquantibus, pulmonibus tuberculis vel vomicis obſeſſis, vel glandulis meſeraicis obſtructis et ſuppuratis placide tandem obeunt, viribus exhauſtis. Si aegrotantem fatum tardius exſpectare conceditur, non raro tubercula, ſummi mali phthiſis pulmonalis, cauſam inſidioſam, rubeola poſt ſe relinquit.

## VI. MORBI THEORIA.

Rubeola, ex quadam materia morbifica, contagioſa, ſpecifica, in ſyſtema noſtrum recepta, ortum ducit; ſed noſtros ſenſus evadit indolis

indolis ejus inveſtigatio; qualia ex ejus vi oriantur, clariſſime dilucent; ſed ratio agendi ſummo in diſcrimine verſatur. Mihi fas ſit aliquod ratiocinium proferre ex ſignis morbi deductum.

Si rubeola contagioſa ſit, ſi ſanum ex infecto inſitione tentare datur, quis velit recuſare aſciſcere huic morbo ſeſe, cauſam proximam morbificam materiem; illa vi ſpecifica pollente, fluidorum quaedam pars ad illius indolem aſſimulatur; in ſyſtema humanum haec contagio recepta, et commiſta ſanguine ſic creſcit eundo.

Si aliquid ratiocinii ex ſignis deducere licet, vi ſtimulante praeditam eſſe hanc materiem morbificam videtur, vimque arterioſam muſcularem intendere; hinc gignitur diatheſis phlogiſtica vel aucta arteriarum vis contractilis; febris molimen naturae, ad expellendam noxiam e corpore poteſtatem, hoc morbo excitata, tali diatheſi ſtipata, nomine ſynochae ab auctoribus recepto gaudet.

Cordis vaſorumque impetu jam aucto, nullum excretum perſpirabili prius effunditur; his etenim viribus excitatis, copia inſolita, humores arterias extremas corporis ſuperficiem

irrorantes,

irrorantes attingunt, potius quam partibus internis diſtributas, perſpirationemque vaſa exhalantia cutem obſidentia excernunt, nullo opitulante apparatu glanduloſo, qui illius excretioni expeditae obſtaret. Nec ſoboles arterioſae exhalantes, membranae tracheae et narium inſervientes, hujus excretionis effluxui obſtant, quin contra eo facilius emittunt quo ſpaſmo arctiore arteriae cuticulares conſtringuntur; materies rubeoloſa, hac excretione, ad aliena et noxia e corporis fluidis eliminanda parata eluitur, et cutis exanthemata, hac advecta, prodeunt.

Diathesis phlogiſtica, tempus anni vernale, quo frequentius rubeola incumbit, et ſynocha vera ſtipans, minus excretioni ſudoriferae per cutis emunctoria favent; et haec qua data porta membranam narium et tracheae petit, non ſine materia rubeoloſa comitante; aucto jam vaſculorum impetu, his partibus inſervientium, et fluidis huic membranae appulſis, cute obſtructa; primo morbi ſtadio, inflammatio quodam gradu membranam ſupradictam tentat; illius ſenſibilitatem intendit, orbat muco obliniente qui illam ab acribus tegebat. Hoc fonte fluunt praeludia catarrhalia: Irritatio e naribus ad oculos provecta hos lachrymantes reddit.

Mihi

Mihi videtur, ſuam ſymbolam conferre ad haec ſymptomata excitanda vim quamdam materiae rubeoloſae propriam; nam catarrhi ſporadici, ſuppreſſa perſpiratione, infeſtant, nec in his aeque ſaeviunt ſigna.

Tussis non ad metam morbi ſicca curſum tenet, ſed excretio tenuis et acris e naribus et trachea effluit, tuſſi et ſternutatione ingraveſcentibus; hoc explicandum eſt, ex copioſa defluxione humoris perſpirabilis, cum materie rubeoloſa, quae glandulas ad mucum deplendum ſtimulat, priuſquam per remoram conceditur abſorptio partium tenuiorum, relictis tenacitate praeditis ad membranam tegendam paratis.

Ad diatheſim phlogiſticam nunc advertendum eſt.

Hæc ex cauſa morbi originem ducere videtur; infantes enim, vel quos aetas tenera minus phlegmaſiis obnoxios reddit, nec fugit rubeola, nec in his ſaeviunt parcius ſigna catarrhalia, ſanguiſque eorum vaſculis detractus ſuperficie coriacea phlogiſtica nuncupata ſubflaveſcit, ſpaſmo phlogiſtico vaſculis extremis aſtrictis, febris gravius urget, haemorrhagiae effluunt, nec febri remitti datur, papulis cute rube-

beſcente. His deſquamatis, ſuperveniunt vel peripneumonia exitialis, diarrhoea, aut ophthalmia; niſi ſanguinis detractione vel veſicatoriis praecaveantur, ſigna talis diatheſis poſt morbum relictae.

Nonne explicare licet phlegmaſiarum cauſam, (praecipue pulmones obſidentium, morbo praecedente ad impetum auctum fluidorum reſiſtendum ineptos redditos), rubeolam longo tempore peracto excipientium potius ex diatheſi phlogiſtica morbo devicto relicta, quam ex ullius rubeoloſae materiei reliquiis, hypotheſi plurimis accepta?

Nonne ex tali diatheſi diarrhoea pendet rubeolam aeque ac eryſipelatem ſanguinis detractione curanda excipiens? rubeolae theoriae nec adverſantur petechiae et vibices praemia regiminis calidioris hoc morbo erumpentes, nec quod febris typho ſimilis, nonnullos tempore aeſtivo rubeola correptos, corpore delicatulo infirmos, vel viribus morbo praegreſſo fractos adoriatur; quoniam phlogiſtica diatheſis argumentis nuperrime prolatis abunde probatur; his tamen anomalis conſilium medentis dirigendum eſt. His expoſitis, ad curationem nunc tranſeundum eſt.

VII.

## VII. RATIO MEDENDI.

Ratio medendi tres indicationes complectitur.

I. Diathesi phlogiſticae occurrere.
II. Signis catarrhalibus obſtare.
III. Sequelis morbi infauſtis obviam ire.

I. Ut diatheſi phlogiſticae occurramus, imprimis curatio dirigitur. Huic conſilio inſerviunt auxilia quae tenſioni vaſculorum ſtimulo valentiſſimo obſtant, et cauſas externas ſtimulantes arcent. Talia praecipue ſunt

*a*. Sanguinis detractio.

*b*. Cathartica.

*c*. Regimen antiphlogiſticum.

a. *Sanguinis detractio.*——Haec longe caeteris auxiliis antiphlogiſticis antecedit; vaſculorum fluida deplet, et tenſionem aufert, vim muſcularem contractilem arteriosam excitantem, praeſertim ſi diatheſis phlogiſtica polleat. Ex Sydenhamo obſervantiſſimo traditum eſt, exanthemata nigreſcentia poſt regimen intenſe calidum adultis contingere; de quibus concla-

conclamatum eſt, nigredine, primum conſpecta, niſi phlebotomia, et temperatioris regiminis refrigerio, iis actutum ſubveniatur. Memorat febrem, cum dyſpnoea, quae rubeolae recedenti ſupervenit, praeſertim in infantibus, regimine juſto calidiore adhibito, in vitae diſcrimen adducente, ſe curaſſe phlebotomia; educta ſanguinis ea quantitate, quam aetas vireſque indicarint, et morbo urgente ſe hanc iterare. Quin et rubeolam, diarrhoeam excipientem, venaeſectionem pariter curaſſe narrat.

Sydenhami obſervationes confirmat praxis hodierna; nec urgente febre eruptiva ſanguinis detractioni adverſatur, ſummo viro hoc ſuique aevi medicis caute evitatae, ne parcius et ſerius papulae cuti accedant; ſed experimenta Hoffmanni, Meadiique inſignis, illorum ſententiae opponuntur; et ſi his credatur, ſanguine febre primum incumbente ſubtracto, anxietas et inquietudo remittuntur, et prodeunt exanthemata.

Febre ingruente rubeoloſa, mittendus eſt ſanguis; praeſertim ſi aeger flore aetatis vigeat, virium aegri et febris impetus ratione habita. Si corpus morbis praegreſſis labefactum

factum rubeola corripiat, ſi vires deficiant, vel aeger tenerioris aetatis ſit, parcius vena tundatur. Nullo morbi ſtadio, quo febris, dyſpnoea, ſignaque catarrhalia ingraveſcunt, a ſanguinis miſſione abſtinendum eſt, ſi ferant vires.

Papulis ſubito recedentibus, peripneumonia, delirio, et ſtupore accedentibus, cum pulſu magno validoque, ſanguinis detractione aegro ſuccurrendum eſt; quippe, ſanguine ejecto, papulae cuti rurſus accedunt, nec ſaeviunt ſigna infauſta ulterius.

Nono morbi die, rubeola deſquamata, peripneumonia ſaepe infeſtat, et morte aegrum minitatur: Hoc ſtadio, nequaquam ſanguinis detractio omittatur; peripneumoniam adventuram praecidit; vel, ſi aeger hoc ſummo malo laborat, eodem occurrendum eſt auxilio.

Primis diebus, niſi poſtulent ſigna, ne venaeſectio temere repetatur; ſanguinis enim jactura nimia pro cauſa forſitan eſſet, quominus copioſam nono die ſalutiferam phlebotomiam bene ferat aeger.

Jactu continuo et celeri ſanguinem detrahere prodeſt; et vulnere lato incidenda eſt vena, vel brachialis vel jugularis. Potius confidendum eſt detractioni ſanguinis

 celeri,

celeri, quam copioſae, ad diatheſin phlogiſticam oppugnandam.

b. *Carthartica.* Quatenus praxis purgans in rubeola aeque ac in variolis proſit, non adhuc ex experimentis compertum habemus. Cathartica laxantia omnibus morbi ſtadiis adhibenda ſunt: Obſtant enim quo minus indies alvus adſtricta ſit; et foeces ſubducunt, vim febrilem excitantes. Porro haec ſubductio fluidorum inteſtinalium ſyſtematis tenſioni reſiſtit.

Clysmata laxantia, indies injecta, alvum aſtrictam ſolvunt; diluentibuſque fluidis infantes, potum recuſantes, ſupplent. Longe arcenda ſunt purgantia draſtica; ne ſua veſtigia, atoniam, et inteſtinorum irritabilitatem, relinquant, vel aegrum diarrhoeae tabeſcenti obnoxium reddant, rubeola devicta; eademque infeſtante, febrem et debilitatem haec quoque intendunt. Nitroſa, hoc morbo propinata, pulmones irritant, et tuſſim moleſtiorem reddunt; praeſertim, ſi materies tenuis et acris e pulmonibus exſcreatur: Si pulmones exſcreant materiem viſcidam et tenacem, hi ſales proſunt, et febrem ſedant.

c. *Regimen Antiphlogiſticum.* Quantas in rubeola aeque ac in variola ſtrages edant regimen phlo-

phlogiſticum et medicamenta cardiaca, ſit mihi Sydenhamus teſtis fidelis.

Exanthematum idiopathicorum eruptioni regimen calidius juſto obſtat; vel, ſi febris excandeſcit, praematurius cutim obſident papulae, petechiis et effuſionibus ſanguineis comitantibus. Praxis recentior frigido aere aegros varioloſos perflari non ſine fructu ſinit, ex cubiculis illorum anxia cura olim excluſo. Num tuto febre rubeoloſa correptos, vel cutem papulis rubentes, jove frigido frui, et foras exire liceat? facta et experimenta deſunt, quae ad hoc generaliter dijudicandum inſerviant.

Sed, ne aliquis afferat aerem frigidum, rubeoloſis admiſſum, aeque periculoſum eſſe ac auctoribus affirmatur; hiſtoriae depinguntur, quae probant, morbilloſos, frigori et aeri expoſitos, facile morbo excidiſſe. Ex dictis, non ſine alea incerta, rubeolam regimine calidius juſto adgredi poſſe, liquet; ſed, ne fallat vitium ſpecie virtutis et umbra, ſigna catarrhalia frigus ſibi infeſtum arcendum eſſe monent. Quiſquis auream mediocritatem diligit, tuto caret periculo, nec in utramque partem nimis vehemens eſt: Aegrum neque ſinit ſeſe imprudenter frigido aeri objectare, neque, dum

frigus

frigus horreſcit, illum adſtringit cubiculis ignibus intempeſtivis calentibus; neque aegrum adfigit lecto pertinaciter, ſi nec febris nec tuſſis requiem et ſtimulantium amotionem indicant. Medicamenta cardiaca amovenda ſunt, niſi vires deficientes refocillare opus ſit.

Diaeta vegetabilis et refrigerans propinanda eſt. Potus tepidus deglutiendus eſt, admiſtis gratis mucilaginoſis. Potu frigido, vel acidis ſumptis, tuſſis ſaepe ingraveſcit, et angina ſupervenit, tono vaſculorum frigore aucto.

II. Signis catarrhalibus obſtare.

In hanc intentionem praecipue innitendum eſt auxiliis quae ingeſta, vel externe applicata, humorum facilem ad vaſa extrema, cutim obſidentia, affluxum conciliant. Talia ſunt

*a.* Emetica.

*b.* Opiata.

*c.* Stimulantia.

*d.* Veſicantia.

*e.* Balneum calidum.

Haec auxilia ſpaſticas arteriarum conſtrictiones extremarum ſolvunt, ex membrana tracheae et narium humorum affluxum praeterea avertunt. Materies perſpirabilis nunc per cutis meatus patulo exitu gaudet, nec copia aucta et tenui ex-

excretio mucoſa ſollicitatur, has membranas obliniens: Ad ſingula advertendus eſt animus.

a. *Emetica* vi antiſpaſmodica pollent, conſtrictiones ſpaſticas arteriarum extremarum ſolvunt, et cuti excretiones ſuas copia deficientes reducunt, expectorationem ſpaſmo retentam faciliorem reddunt, et fluxum humorum, tracheae, laryngi, et bronchiis appulſum, dimovent.

Emeticis parcis doſibus aſſumptis ſupervenit nauſea, alvus leniter ſubducitur, et diaphoreſis excitatur; tot et tantis igitur viribus innixi, praxi ſpectatis, conabimur eorum adhibitionem hoc in morbo indagare. Mihi videtur tartarum emeticum, nec guſtu ingratum, nec viribus incertum, pro caeteris hoc morbo emeticis uſurpandum eſſe.

Hoc febre eruptiva ingruente adhibere oportet; ſaepiſſime, peracta vomitione, papulae ubertim erumpunt, tuſſis ſedatur, et, tertia poſt eruptionem die, omnia evaneſcunt ſymptomata. Sed, ne ex diatheſi phlogiſtica phlegmaſiae topicae vomitioni ſuperveniant, venaeſectio praemittatur; praeſertim ſi pulſus nec mollis, nec parvus, levi digito ſentiatur. Tartarum emeticum dandum eſt, doſibus parvis nauſe-

am

am facientibus, omni morbi ſtadio, tali adhibitionis ratione viribus ſuis diaphoreticis et antiſpaſmodicis frui conceditur; nec vomitione aegrum fatigamus, nec effectus fugaces dilabuntur.

Papulis intempeſtivius recedentibus, comitantibus languore, dyſpnoea, et pulſu parvo, emeticis aegro ſuccurrendum eſt; ſi pulſus plenus et durus evadat, venaeſectio praemittenda eſt. Diarrhoeae rubeolam excipienti oppugnandum eſt emeticis.

Radices ſcillarum, vi quidem emetica praeditas, ſed vi ſtimulante et calefaciente pollentes, haud tuto adhibere licet, donec febris deſinat excandeſcere, et mucus ob nimiam tenacitatem ingrato molimine exſcreetur.

b. *Opiata* in ſyſtema noſtrum recepta vires anodynas et ſtimulantes exercent; his fluida ad extrema vaſa propellunt, illis ſpaſmum ſolvunt. Verum, an in phlegmaſiis vel morbis diatheſi phlogiſtica ſtipatis opiata propinanda ſunt? Haec inter medicos lis agitatur, nec conſenſu unanimo lites adhuc componuntur. Auctores Young et Thralles, qui de opio ſcripſere, in omnibus phlegmaſiis, et morbis febrilibus inflammatoriis, caute monent ut opiatis abſtineamus; immo Doctori

Young

Young perſuaſum eſt, opiatis et lanceola eidem morbo occurrere non ſine periculo dari.

Sed nefas eſt regulis ſtrictis generalibus ſcientiam medicatricem arcere; et hoc confirmant de uſu opiatorum experimenta medicis prolata, quae nec repugnant horum ſententiis qui opiata prohibent, febre intenſiore ſynocha infeſtante, nullo dolore topico vel tuſſi urgente, ſomno quamvis oculis fugato; nec hauſtu anodyno ſomnos invitare ſuadent, nulla jactura fluidi vitalis praemiſſa, ad vim febrilem compeſcendam; ſed, ut tuſſis infeſta ſedetur, ut dolor excrucians conſopiatur, et ſolamen miſeris ſomnus revertat, opiata adhibere jubent. Huxhamus et De Haen, praxi medica verſatiſſimi, dolore lateris pungente, et tuſſi dolentiſſima, pleuriticos ſublevant papaveris extracto ſoporifero frequenter nec parca copia aſſumpto. Mihi itidem ſententia Sydenhami arridet, qui tuſſim rubeolae adſiduam opiatis deliniendam eſſe, per totum morbi decurſum, a primo inſultu jubet; nec huic praxi oppugnant Culleni Praeceptoris noſtri obſervationes. Tuſſis rubeoloſa pulmones irritat, inflammationem hujus organi excitat,

et

et effuſiones in texturam celluloſam pulmonalem vaſculis emulget, quae pectore latent phthiſis pulmonalis ſeminia. Tuſſim ſedant opiata, requiem ſomnumque invitant, quae ad vires reficiendas, febrem temperandam, et eruptionem promovendam, haud parum proſunt; Spaſmum vaſculorum ſolvunt materiem exſcreandam eliciunt opiatae; vel muco tenui in ſuis folliculis remora conceditur ſedativa illorum vi. Opiata tartaro emetico commiſta vires diaphoreticas edunt; amboque ſic unita vim ſuam ſtimulantem pauliſper deponunt. Scillae, vel tartarum emeticum, quo minus tenacitatem excreti muci opiata ſpiſſiorem reddant, obſtant.

c. *Stimulantia* ad vires aegri deficientes refocillandas juvant; vinum mihi videtur prae caeteris palmam praeripere. Stimulantia cardiaca nuncupata vi calefaciente pollent, quae illorum adhibitionem prohibet, niſi corpori ſtimulo intenſiore ad ſuos motus excitandos opus ſit; huic intentioni alkali volatile inſervit. Vinum languens ſyſtema ſuffulcit; mira praeſtat ſi pallidae appareant papulae vel recedant intempeſtivius, languore, laſſitudine, dyſpnoea, cum pulſu debili, ſupervenientibus;

venientibus; ſi pulſus durus et plenus evadat, his repreſſis, fauſtiore eventu vena pertunditur, et regimen antiphlogiſticum vino anteponitur. Petechiis ex calidis provectis non inconſulte vino oppugnandum eſt; Hae felicius ſanguine detracto, et regimine antiphlogiſtico propinato, evaneſcunt.

d. *Veſicantia* cuti applicata ſpaſmum ſolvunt, vaſculorum ſuperficiem corporis irrorantium, hoc ſoluto partes internae humores parcius accipiunt, et vaſa interna relaxantur. De Haenii experimenta probant, veſicantibus applicatis, dolores pleuriticos ſublatos fuiſſe iteratis venaeſectionibus immorrigeros; peripneumoniae omnem brevi ſedaſſe dolorem his auxiliis, febrem non modo non intenſiorem, ſed moderatiorem fuiſſe, multoque faciliora ſputa prodiiſſe, narrat.

Eventu fauſto, poſt requiſitas evacuationes, phlegmaſiis ſuccurrere licet veſicantibus. Nec huic ſententiae repugnat Pringelius Eques Cel. qui ſynochas, topicis doloribus graves, veſicantibus ſuſtulit applicatis; multis laborantibus tuſſi, et dyſpnoea, non ſine febre, et pulmonibus infarctis, veſicatoriis pulſum minus frequentem redditum fuiſſe Cel.

D Whyttius

Whyttius tradidit; his factis inſtructus, quis recuſaret rubeolam veſicantibus oppugnare?

Vesicantium ope ſigna catarrhalia ſedantur, et eruptio rubeoloſa, ſi tardius juſto cutim obſideat, vel praematurius recedat, iiſdem ad cutem invitatur; ſed, ſi febris intenſior ardeat, vel pulſus plenus et durus evadat, venaeſectione neglecta, non ſine periculo veſicatoria applicantur. Si rubeolae ſuperveniat angina, nuchae veſicatorium applicetur. Peripneumoniae rubeolam excipienti veſicantibus ſuccurrendum eſt, venaeſectione praemiſſa, ſi vires permittant.

Tussis et febricula nono die plerumque ingraveſcunt, nec ſine periculo; his ſemper veſicatoriis obviam irem, nec vires morbo praegreſſo depreſſae aeque his ac ſanguinis detractioni adverſantur; veſicantia hoc ſtadio frequentius applicata morbi periculoſas ſequelas peripneumoniam et diarrhoeam praecaverent.

e. *Balneum Calidum* cutim relaxat, et ſyſtematis tenſionem minuit. Eruptionem tardius prodeuntem vel repreſſam propellit. Sed cavendum ne calor aquae corporis humani ſani colorem ſuperet, cujus ſtimulo forſan

forſan febris recrudeſceret; ſi pulſus et vires indicant, praemittatur vel ſemicupio vel fomentationibus ſanguinis detractio.

III. Sequelis infauſtis obviam ire.

*a.* Propulſando morbi vehementiam *inſitione.*

*b.* Praecavendo ſequelas rubeola devicta *regimine.*

a *Inſitio.*—Neminem latet quam feliciter variolarum inſitio ceſſerit, nec minus feliciorem fore inſitionem, probabile videtur, rubeolae. Hac praemiſſa, decurſum morbi minus ſaeviorem evaſurum, et ſequelas, praeſertim phthiſin pulmonalem arcendas, ſperandum eſt: Materies etenim morbifica, aere recepta pulmonibus, ingreſſum ſibi quaerit in corpus per venas lymphaticas pulmonales; et quid obſtat quin haec aeque ac materies inficiens varioloſa, vel ſiphylitica, glandulas conglobatas tentet vicinas, et, his obſtructis, inflammatis, et ſuppuratis, phthiſis ſuperveniat. Sed quomodo morbum inſerere licet?

Rubeolam per inſitionem communicari ope ſanguinis infecti affirmat Praeceptor noſter Homius, in ſua factorum enarratione; et die ſexto plerumque febriculam ſeſe monſtrare, octavo papulas erumpere, ſignis catarrhalibus

bus mitiſſimis comitantibus, nec febre hectica, tuſſi vel ophthalmia ſuccedentibus. Medicis Young, artis obſtetricis Profeſſore, Culleноque, Praeceptoribus noſtris, incaſſum tentatum fuit hoc experimentum. Doctor Young, novem, ſanguine ex papulis rubeoloſis detracto, fruſtra conatus eſt rubeola inficere. Nec quoſdam alios morbos contagioſos ſanguine infecto communicare licet, ut mihi perſuaſum eſt, ex experimentis cujuſdam amici, praxi medica verſatiſſimi, variolas ſanguine infecto inſerere fruſtra conati. Monro Praeceptor cel. de Lymphaticis ingenioſe tractans, putat inſitionem fieri poſſe, ſi tantum maculae vel papulae maturae goſſypio perfricentur, et hoc deinde vulnuſculo indetur. Goſſypium aeque ac lanam optime ad materiem contagioſam retinendam et vulgandam peſtis, dira experientia confirmat; nec minus ad rubeoloſam contagionem communicandam valere, his factis probatur. Amicus jam memoratus ſuis nuperrime literis me certiorem reddidit, ſe duos pueros infeciſſe lanula, corpori infecto a prima morbi invaſione ad deſcenſum applicata, et poſtea femori unius et brachio alterius ſuperpoſita: Octo dierum intervallo febris ru-

beoloſa

beoloſa ambos invaſit. Si haec methodus rubeolam inducendi diſpliceat, nonne fluidum e naribus rubeoloſi vulnuſculo ſani inſitum brachii morbum communicaret? nec analogia ex gonorrhoea deducta huic ſententiae adverſatur; hoc in morbo materies inficiens membranam urethrae ſtimulat, et glandulas mucoſas ad ſua fluida ubertim effundenda excitat, queis ſtillantibus ex urethra conſtat gonorrhoeae fluxus, haec materies introducta in urethram ſani gonorrhoeam communicat. Praeterea vaſa lymphatica materiem ex membrana celluloſa promptius abſorbent: Hoc confirmat luis venereae infectio, non prius ex gonorrhoea quam ulcus vel eroſio ſuperveniant, ſyſtema generale infeſtans.

b *Regimen*. Finita febre rubeoloſa, et diſcuſſis jam maculis, ne jam convaleſcens praematurius juſto ſeſe aeri frigido committat, ſerio monendus eſt. Ad perſpirationem ſollicite promovendam una cum veſtibus laneis frigus arcentibus, exercitium foris tempore meridionali calente prodeſt. Nec diaeta animalis praematurius juſto aſſumenda eſt; vero victum habeat tenuem et vegetabilem,

niſi

niſi vires morbo praegreſſo languentes analeptica requirant. Studiis, quae aciem oculorum intendunt, ne convaleſcens incumbat nimia ſedulitate, ſi ophthalmiam evitare velit.

Si tuſſis et febricula convaleſcentem infeſtant, ſedulo hanc phthiſim pulmonalem aggreſſuram oppugnandum eſt ſanguinis detractionibus, parca copia frequenter repetitis. Emetica, ut fluida ad cutem eliciantur, utiliſſima dentur. Victu vegetabili et lacteo utantur aegri; ut vero diatheſis phlogiſtica prorſus dimoveatur, in plagas Auſtrales benigniores demittantur;

Ubi ferunt aequos et coelum et terra calores.

FINIS.